This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


618.
5
R 73

DIALOGVS

APOLOGETICVS PRO CAESAREO PART V,

In maleuoli cuiuſdam Pſeudoprotei dicteria,

FR. ROSSETO AVTHORE.

PARISIIS,

Excudebat Dionyſius Duvallius, ſub Pegaſo, in vico Bellouaco.

M. D. XC.

CVM PRIVILEGIO.

AD CANDIDIORIS NOTÆ CHIRVRGVM.

SIC tibi ſidereo fœlice Machaone cedat
Chirurgema precor Lector amice nouum,
Ne mihi ſit fraudi (tot contra obſtantibus) orbi
Dum prodeſſe volo conſuluiſſe tibi.

F. R.

DIALOGVS APOLOGETICVS PRO CÆSARE reo partu.

COLLOQVVTORES SVNT,

SOZOMETER, & CATAGELASTES.

SOZOMETER.

QVo nos vsque nouis vetus obtrectator inulta
Inuidia perges exagitare probris?
Probra viris sunt nulla probis odiosa perinde,
Vaniloqui mendax crimen vt opprobrij.
Hactenus es nostra nimis indulgenter abusus
Natura, cui nil pacis amore prius.
Atqui læsa diu nimium patientia quamuis
Sæpe oblita sui visa sit esse furor,
Non tamen irascar (tibi respondere coactus)
Sic, ratio vt memorem me vetet esse sui.
Nunc nisi more tuo fugis vltro agnoscere verum,
Vitrea cum bilis te tua præcipitat,
Huc patienter ades, pressisque aliquando cachinnis
Elati fastum pone supercilij.

Pone ſuſurrantis cachoethica murmura linguæ,
Pontica queis peius vix aconita nocent.
Præſens ſola crepas ciniflo qui candida, nigris
Obloquiis abſens candida noſtra notas.
Quod noua neſcio quæ docuit te, dicta ſub vmbris
Tartareis naſci ars artis in inuidiam
Id facis, offundens non irritatus opacas
Luminibus tenebras ex Acheronte meis.
Detrahe perſonam. peregrinos fallere tali
Larua, vel pueros terrificare potes.
Amotis quærenda iocis ſunt ſeria: ſcurræ
Pilea mordaces dedecet iſta gerant.
Ac ne te retrahas velut excuſabilis, vt cui
Scilicet haud gratum eſt tempus inane teri,
Da ſaltem quod habes vacuum poſt ſeria tempus:
Si probra te vacuum tempus habere ſinunt.
Nam bene qui norunt quæ res tibi ſeria, quæque
Ludicra ſit, quæ ſint otia, vel quod opus
Vnà omnes iurant genuinum frangere ſemper
In tibi diſſimiles quoſlibet eſſe tuum.
Non ego te vana verborum ambage morabor,
Res poterit de ſe certius ipſa loqui.
Te nunc cauſa reum prius accuſata viciſſim
Quæ facit, actoris me iubet eſſe loco.
Ca. Ante reus dum nunc fieri vis ſtrennuus actor
More nouo iudex forte ſedere voles.
So. Stare (ſcio) metues tecum certare parati
Arbitrio, ſimilem me tibi fraude putans,
Sed tam confido nulla palleſcere culpa
Aſſuetus cauſſæ vincere iure meæ,
Iudicis vt cedam tibi partes, ſponte fateri
Ni fugis hæc, quorum es conſcius atque memor.

Lege pari mihi da (cum non indebita poſcam)
Cognita vera mihi dicere vera palam.
CA. Vera tuo forſan, noſtro ſed inania ſenſu:
Et quæ nulla vnquam credula credat anus.
Sed modo præfatus pauca hæc fore, iam tamen au-
Obtundis longa garrulitate meas. (res
Ocyus inſultans, & vix ingreſſus arenam
Promiſſi egrederis tam cito ſepta tui?
So. Ergo ad rem. ſola eſt (vt fertur) honeſta terēdi
Temporis in cunctis rebus auaritia.
SI FOETIS nunquam ſperantibus edere partum
Noſtra ſalutarem dant noua ſcripta manum,
Scilicet inſurgis, veterum quaſi tutor, & horres
Nunc ſcribi, quæ non ſcripta fuere prius.
At ſi viſa ſuo ſcripſerunt tempore, quid nos
Scribere quæ noſtro ſunt quoque facta vetet?
Talibus at cuiquam non debeo primus in auſis
Scriptor inauditæ dicier eſſe rei.
Ecce aliquid priſca non ſcriptum ætate, paremque
Vt Cæſar notum promeruiſſe fidem.
Id reputans ieci modo fundamenta ſtruendæ
Arcis in inuidiæ virus, & arma tuæ,
Quæ mihi de fœtus Senonum (mirabile dictu)
Saxoſi ac veteris ſumpta fuere ſchedis.
Cum Prouenchero collega Alboſius illam
(Notus vterque bonis) condidit hiſtoriam.
Teſtibus innumeris ne te morer, ipſe venito
Ad Senonas, quorum te mihi fiſto foro.
Tum nobis veniat (fuerit quicunque) Palæmon,
Qui poſito dirimat pignore litigium.
CA. Sed rogo ſi tuus hæc pronunciet eſſe Palæmon
Vera, quid inde ſequi lex quaſi lata volet?

So. Nimirũ vt ceſſes noſtra vt noua carpere, nanque
Hac nouitate poteſt nil magis eſſe nouum.
Interea quiſnam verum mage dicet eadem
Eſſe aliquid, niſi qui quod videt eſſe negat?
Ergo meis ſcriptis quod ſint noua, cum nouus ipſe
Sis homo, teque grauis teſte vir, & ſapiens,
Si falſi crimen veri deriſor inuris
His noſtris, falſi te quoque prode reum.
Inſuper in noſtris quòd paucis digna reprendi
Multa (licet veris) vt vitioſa notas;
Quæ tua loligo maculis fœdare cupiuit,
Spongiolis reddam candidiora niue.
Non vna ex pharetra, nec eodem tincta veneno
In me multa licet mittere tela pares,
Nequicquam clypei ſummo ex vmbone retuſa
Omnia pendebunt te iaculante mei.
Perge ergo inſectans quæ nos pro tempore nuper
Cæſarei dedimus ſcripta puerperij.
Qua licet in cauſa priuato nomine tecum
Res mihi ſit, veniam nec mereare nocens,
Ignoſco facilis; ſed non condono libenter
Quod ſolet hic de te publica cauſa queri.
Hinc gemebũda parens, hinc primum fœtulus ante
Vagitum querulo ſe vouet ore mihi.
Hos igitur contra nunc prodi. In lite clientes
Deſertor iuſta prodere nolo duos.
Ca. Atqui non dubiam ſecuro ſi tibi palmam
Promittit Senonum carneus iſte lapis,
Quid tibi præterea certamine quæris ab iſto?
Cum monſtris pudor eſt bella mouere mihi.
So. Herculeæ tamen eſt opus hoc virtutis. at ipſe
Dum veris bellum perfidioſe moues,

In ſuperos monſtroſa (gigas tibi creditus eſſe)
Arma paras, ſcutum pumilionis habens.
Callidus es; pugnæ fugiens circumſpicis in qua
Ante tubas latebra victor ouare queas.
Scommata ſic igitur (quibus inſanire libenter
Conſueſti) rurſus te memorare velim,
Vt mihi permittas iis reſpondere viciſſim.
Alternis iudex dicere muſa velit.
At quia non ſemel iis, quæ tot ſimul obiicis omni
Vnus ſermo ſatis pro ratione facit,
Singula dum facili feruentior arte refellam,
Quàm cuperem forſan longius egrediar.
Iraſcere (ſcio) veluti qui vapulat. Atqui
Ignoſci à doctis poſtulo iure mihi.
Vt quibus ex longo tumidum vtricularius hydrops
Tempore replet aquis multus aqualiculum,
Illorum ventres prudens vrente lapillo
Vix fodit, aut lata cuſpide ducit aquas,
Hoc ego more tui ſtomachi purgare coactus
Pus putre cunctando id, nec violenter agam.
Nanque aſſueta diu quæ nos velut extera lædunt,
Propria cum longa ſunt quaſi facta mora,
Sunt quodam tolerãda tenus. cito cuncta fugãtem
Mox erit vt fugiant & bona mixta malis.
Incipe, quæque voles vibrato tela. repulſu
Irrita ſunt clypei cuncta futura mei.
CA. Nullus ad examen niſi vilis vilia cenſor
Explorat trutina ſcruta bilance libens.
Aſpernantur ob id potius vernacula docti
Hæc tua, quam audiri digna legique putent.
Damnoſum in ſterili male perdere rure laborem
Agricolæ vanum eſt deſipientis opus.

Noſtris ſola ſcholis Latiæ, Græcæque Mineruæ
Non patriæ referens os rude lingua placet.
So. Gallus ego, ad Gallos, de Gallis, Gallica ſcripſi:
Noſtra vt noſtrates lectio prima iuuet.
Si Græci Græco ſcribunt ſermone, Latini
Atque Arabes verbis natio quæque ſuis,
Ecce vetas cenſor noſtris popularibus illud
Reſtitui, noſtro quod venit à populo.
Gallica ſola legunt quibus has debere fatemur
Primitias; quin vix Gallica rite legunt.
Audeat ex noſtris ſi quiſquam tale coactus,
Tutius id peraget Gallica noſtra legens.
In patriam propenſus amor poſt numen habetur
Primus, & in ſe omnes claudit amicitias.
Adde quod hinc debet minus hæc ſuſpecta videri
Noſtratum conſtans vocibus hiſtoria.
Nam noua quæ rides ſi non niſi teſte probari
Rite queunt Gallo Galla puerperia,
Quid tunc teſtis aget, ſi forte legentur eidem
Teſtificanda iterum teſtificata prius?
Audiet attonitus, ſed non intelliget id quod
Verba rudi vulgo facta Latina ſonant.
At mihi ſexcenti Galla de plebe vocantur
In teſtes, debet quos penes eſſe fides.
In dubiis autem nunquam eluceſcere rebus
Arbitrio cæco lis dirimenda ſolet.
Id dicat falſum eſt, hoc anceps, verius illud
Qui iuſto locuples nomine teſtis erit.
Ca. Scriptio prima tamen (vel te perhibēte) latebat
Iam tunc facta domi tota Latina tuæ.
So. Omnibus illa frequēs populis eſt lingua, putaui
Omnibus à populis ſic mea poſſe legi.

Et merito.quoniam quæ paucula ſcripſimus,omni
Humano generi profore ſpes fuerat.
Interea noſtrate licet noſtratibus ore
Matribus,& patriæ patria verba loqui.
CA. Præſtiterat cultu decorata exire Latino.
Nam perægre natis gratia maior ineſt.
SO. Vera ſolēt phaleras contemnere,quas ſua cuiq;
Patria fert ſi quis ſpernat alumnus opes,
Illi nec pietas,animi nec guttula grati;
Turpis at in duro eſt pectore barbaries.
Hellas amore ſui deluſa, fauenſque ſuorum
Inuentis glebam tollit in aſtra ſuam.
Turcarū hac princeps ſummo quaſi munere regū,
Orbe ſibi toto iungit amicitias.
Congerit ex eius non magno pondere cautus
Mercator quas vix Crœſus habebat opes.
Hac ſinit à medicis locuples maioribus æger
Se ludi,luſis credulitate prius.
Gallia cum bolos ſigno meliore notandas
Non vno tinctas noſtra colore ferat,
Temnimus: at noſtræ(ſi Græcis nota fuiſſet)
Vt puto Lemnos erat tota datura locum
Excellit(ſi quis medica bene diluat arte)
Pariſij quædam candida terra ſoli,
Vulgus ea veſtes, & pilea ſorde repurgat.
Quàm tardum eſt patriis mentibus ingenium!
Balnea quid memorē nunc deſita? quæ monumētis
Teſtibus in multis ſtructa fuere locis.
Et peregre ſtulti proficiſcimur,inde petentes
Noſtra quod auxilium Gallia maius habet.
Cautius errabant gentilia numina, quique
Iis conducebant ſtructa ſacella diis.

Curatoris enim ſaxoſum numen egebat,
Cuiue erat è putri ſtipite lignea mens.
Iis propter medicos fontes,& balnea fanum
Mos erat à populo vota ferente ſtrui.
Illic naturæ atque Dei miracula myſtes
Omnia iurabat numinis eſſe ſui.
Aſcræo ſtomachum mouit ſua Græcia,ſpernens
Scire quid aſphodetus, maluaque ferret opis.
Et nunc vt medias ſitit inter Tantalus vndas,
Mendicat patrijs Gallia plena bonis.
Mendicam dixiſſe pudet,cum prodiga multo
Emptitet ære luti fruſtula barbarici.
Ex Græcis ad nos riuo deducta Latino
Ars(fateor)medici defluit auxilij.
Non ingrati illis(Arabas laudamus & ipſos)
Acceptum ferimus Gallia quicquid habet.
Sed quis Arabs,Latius, vel Graius ſcriptor egenas
Huius prægnantes eſt miſeratus opis?
Has malim ſeruet vernæ manus vna medentis,
Quam docto iubeant ij ſimul ore mori.
CA. Abſque ſalis mica cui ſunt placitura palato?
Vel ſaturam oblectant delitioſa gulam?
SO. Non cuiuis promptũ eſt vt miſceat vtile dulci,
Nec pluuius cunctis Iuppiter ipſe placet.
Quod ſi conuiuæ tres diſſentire videntur,
Cuius erit grata ars iis tribus vna coqui?
Delicias ſequeris,debentur noſtra ſaluti.
Non ſcurror: vobis hoc ſale beta ſapit.
At ſale condiri cur vis mea prodige? nanque
Plena ſalis per vos ſint elementa licet,
Dimidio minus eſt hodie quam par ſit haberi
In promptu multis putribus, & fatuis.

CA. Sed placeãt optas. So. Quidni? doctiſq; boniſq;
Percupio vt quam ſunt cognita vera mihi,
Tam ſint (inuidia procul hinc fugiente dicaci)
Illa Machaoniis digna placere viris.
Aſſequar id ſpero cum plus mihi ſupperet oti,
Et noſtra fuerint mox renouata manu.
CA. Præſtitit illa premi, male quàm tornata legiq;
Propoſita incudi reſtituenda dari.
So. Viribus æqua vt ſit multum eſt verſanda, diuq
Materies (fateor) ne graue lædat onus.
Sæpe tamen celerare nouos (licet abſque labore
Id nequeas) auſus admonet vtilitas.
Impulit ergo huius grauidarum in rebus egeſtas
Auxilij, vt propere vix modo nata darem.
Præterea nullus, qui nedum ſcribere, verùm
Credere tunc vellet quod meditabar erat.
Ergo timens ne mors canis properantibus orbi
Vtile præriperet quod paro primus opus,
Non ægre patiens ſtultis vel ineptus haberi,
Cordatis volui hoc commodus eſſe libro.
Nam ſenibus nimium nòn eſt cunctanter eundum,
Veſpere cum pluuio eſt iis repetenda domus.
Pluribus interea ſi vita ſuperforet annis,
Spes erat hæc melius poſſe polita dari.
CA. Mors tamẽ eſt (aiũt) bis coctã apponere crãbẽ.
So. Sæpe ſecunda magis cura priore ſapit.
CA. Hæc tua quãtula ſunt? Tã paucis paſcere multa
Oeconomo vanum eſt corpora velle cibis.
Pro paucis exempla tuis ſexcenta fuerunt
Conſtituenda in re tam ſuperante fidem.
So. Quædam pauca licet, multis nutrire quibuſdã
Vberiore omnes vtilitate ſciunt.

Quod breuius per pauca poteſt, facileque probari
Succeſſum voti ſine trahente parem,
Præſtat ei quod vix, per plura, diutius, audax
Ambitio fructu non meliore facit.
Temporis, & rerum, iuſtique impenſa laboris
Parcior in lucri eſt connumeranda locum.
Quin tu (ni piger es) ſi res te publica, ſi te
Artis cura tuæ ſeria ſollicitat,
Hunc mecum lapidem communi robore volue:
Nec ſpectator iners ad mea cœpta veni.
Nemo poteſt vnus cunctis ſeruire miniſter:
Multa (aiunt) leuius dextera tollit onus.
CA. Demonſtrare tamen cum particularia pauca
Nil valeant, ſaltem lege ſcientifica,
Talia neſcio quæ pariendi atrociter artis
Fundamenta iacis non bene firma tuæ.
Sic ne putas artis nomen te poſſe reperto
Huic dare, quod miſeros nutriat artifices?
SO. Turpiter vt video quid ab arte ſcientia diſtet
Aut neſcis, aut vis diſſimulare vafer.
Artifici ſua ſunt, ſua ſunt elementa ſcienti,
Illi ſenſus, at huic lex ratione rei.
Sed fidei veniunt à ſenſu prima ſciendi
Principia, vt reliquis credita mox tribuant.
Actibus at multis itidem, ſimilique patratis
More habitum fieri pulpita rauca volunt.
Hoc nobis artes numerantur in ordine, quarum
Nulla ſuo euaſit maxima principio.
Attamen è paucis ſperamus plurima noſtris
Emerſura ſuo tempore, tarda licet.
Tu reſipiſce modo; & poſita ruditate ſeueri
Iudicij ceſſans tetricus eſſe nimis

Adde manus operi mecum: te fortè ſequetur
Turba frequens, artem te duce conſtituens.
Quæ domus in ventum primo ſurrexit & imbrem
Arcendum ex auro deinde cacumen habens
Corrueret, niſi quæ ſubſunt obſcura ſuperbæ
Fundamenta ædis firma locata forent.
CA. Artis nonne pudet medico tibi ſumere nomen?
Probroſum doctis nomen ab arte venit.
SO. Hippocrates medicos inter doctiſſimus, & qui
Præter eum nullis ire ſecundus amat
Agnouere artis deberi nomen ei, quod
Tractabant ſtudio ſcriptor vterque grauis.
Nam prior amborum magni promiſſa, preceſque
Regis Perſarum deſpuit, atque minas.
Alter Cæſaribus vitæ quaſi cenſor eorum
Corporeis medicus præfuit auxiliis.
Ne ſenſus igitur, ne particularia ſpernas;
Vnde αὐτόψιας habet quam dat & ipſa fidem.
Vtilitas hominum ſcopus eſt cuiuſlibet artis:
Nil niſi ſcire ſciens ſe ſciat eſſe nihil.
Artifici noſtro pietas, non turpe lucellum
Auſpice me ſancti meta laboris erit.
Ij quibus eſt cordi ampulloſa ſcientia, iactent
Grande peregrinis hoſpitibuſque ſophos.
Barbatum ſocius ſapientem vector in vndis
Cum trepidare metu cerneret ipſe tremens,
Tu quoq; (vir ſapiens) trepidas muliebriter (inquit)
Nil formidandum qui profitere tamen.
Stoicus huic tandem: (ſed iam ceſſante procella)
Maior quippe mihi cauſa timoris erat,
Quam vobis, quorum minor eſt iactura. Sophorũ
Quam plebis longe eſt mens pretioſa magis.

Alter ad hæc,quorſum mens hæc pretioſior,vllum
Si nulli maius fert operæ pretium?
Vos agitis Curios,ſed inepti rebus agendis,
In quibus humanæ eſt nexus amicitiæ.
Natura artis opus mortalibus illius ergo
Sic dedit,vt citra hoc ars videatur iners.
Nam velut ex proprio fructu cognoſcitur arbos,
Reprobat artifices,vel probat artis opus.
Non peto(ſi neſcis)ventoſa ſuperbiat artis.
Nomine priuatæ ſectio quam dedimus.
Sed neq; magnifica phyſicorum in claſſe medentũ,
At chirurgorum ſub ditione loco.
Nam ſi cyſtotomi(licet haud admiſerit illum
Hippocrates)Celſum non pudet artificis,
Cur ſi nunc idem fieri ſpectaret ab vllo
Hippocrates,factum quod memoramus opus,
Non dignaretur chirurgi nomine talem
Artificem,idque artis,quod facit arte manus?
At cur multa petis?Nanq; hæc ſunt te quoque teſte
Multa nimis: ſed erant tum mihi plura domi.
CA.Promiſiſſe olim turpe eſt hæc plura,nihilque
Promiſſæ toties exhibuiſſe rei.
So.Debita ſæpe ſuo nec reges tempore ſoluunt
Fœnore ſed penſant qui periere dies.
CA.Tam longo fies elephas vaſtiſſima partu
Bellua,Cæſareum mox paritura nihil.
So. Si neſcis ſtudio volui differre paratis,
Qualia prætentans veſtra venena forent.
Ecce autem parui primo Camarina libelli
Obtutu virus concita quale dedit?
Verum hac antidoto mens præmunita legentum
Cum fuerit,lædent toxica veſtra minus.

Quin potius videas ſtimulo, tenuique ſuſurro
Infeſtus ne ſis beſtia parua culex.
CA. Rugoſo incipiunt piperi dare torta cucullos
De plebis tantum ſcripta puerperiis.
SO. Non modo Virgilius, Cicero, Cato, Celſus, Homerus,
Hippocrateſque iſthæc cogitur ipſe pati,
Verum etiam DOMINI ſanctũ, ſacrumq; volumen,
Sunt vbi verba cibi ſcripta ſalutiferi.
Sed quid me ſola grauidas è plebe iocaris
Scribere, queis fuit hæc ſectio noſtra fauens?
Hæc regum vxores in lucrum exempla reponant.
Cum grauidis aliud non erit auxilium.
Hac ope neglecta princeps non vna ſepulcro
Cum fœtu à veſtris condita ſæpe fuit.
Nam paribus noſtris elementis corpora regum
Si conſtant morbos ferre coacta pares,
Cur dum regali ſpreto diademate morbus
Imperat, hac princeps deſtituetur ope?
Quod tamen edidimus plauſum ſuperante theatri
Non caret auſpicio: ſit tibi vile licet.
Nanque merum populare nihil deſcribo, ſequutus
Principis Auguſtæ ſeruulus imperium.
Alter ab vndecimo Lodoicus nomine Galli
Qui populi dictus rexque, paterque fuit.
Hanc bonitate pater ſimilem Valleſius heros
Suſcepit, fauſto ſidere iam ſenior.
FRANCA RENATA illi nomen; qua auguſtior orbe,
Princeps in toto fœmina nulla fuit.
Illa puerperium non vno teſte parentes
Poſt tale incolumes fœtificaſſe ſciens,

Venturiſque putans id profore, ſingula iuſſit
Quæri iterum, & ſcriptis vera reperta dari.
Mandari hæc melius cuidam prouincia docto
Debuit, otia cui liberiora forent,
Quàm mihi nec docti nomen (me teſte) merenti,
Nec ſolito ægrotis defore quando rogant.
Illa neceſſe fuit me iuſſa capeſſere, nanque
Artis erat noſtræ propria materies:
Et me ſponte ſibi (merito cui gratia maior
Debetur) medicum iuſſerat eſſe domi.
Sic ſuus eſt autem, magnis cui cura placere,
Vt frenato aurem mannus in ore gerens.
Etſi autem non ſit laus vltima poſſe placere,
Tantis quanta fuit Dux ea principibus;
Non tamen aſpernor populum popularis & ipſe,
Auxilio medicæ promeruiſſe manus.
Quo magis admiror popularia noſtra reprendi,
Illis quos populi ſportula pinguis alit.
Hæc volo, ſed nolens, & reſpondere coactus
Credant dicta ſibi queis ſua ſola placent.
Non mihi iactandi veniat tam ſtulta cupido.
Mordendiue canum more ferinus amor.
Quicquid id eſt extra damnabunt eſſe petitum.
Nil facit ad noſtrum nanque puerperium.
Sed nolo ſperent (auſint quicunque vocari),
Rem fore nugari cum nebulone ſibi.
CA. At melius poterant iis hæc ſcribenda relinqui
Quorum fama ſtylo nobilitata volat.
SO. Id volui, memor illius qui pauper Athenis
Conſilium reliquis cum daret vtilius,
Non prius obtinuit ſibi credi, quàm grauis illud
Suaderet populo lingua diſerta viri.

Vtra

Vltra quid facerem ? quibus hæc oſtendimus,illi
Riſerunt; labor hos terruit abſque lucro.
Primis ambitio,ſitis auri ſacra ſecundis
Imperat,ambobus mos ratione carens.
Inde fit vt ſoli populo placitura volentes
Scribere,noſtra habeant hæc noua pro nihilo.
Sed quia pro lucro mihi dudum cœpit haberi
Cum patriæ veniens vtilitate labor,
Me quamuis inopis, raroque,& pauca ferentis
Eſſe animi bene ſim conſcius ipſe mihi,
Indefeſſa tamen tam raræ cura ſalutis
Pluris natiuo eſt facta pudore mihi.
Taxatur DOMINO ſeruus quicunque talentum
Infodit,augeri fœnore quod potuit.
CA. Hæccine dogmaticis,an quos empirica vendit,
Aut ſpagira nigrat congeris opprobria?
SO. Illius vt ſectæ iurato in verba pudendum
Nunc foret officij nolle referre vicem,
Sic horum fateor nonnulla recentibus auſis
Premia deberi: quod nec Apollo neget.
Igne ſuo gaudet cœleſti Phœbus in orbe.
Sub terræque antris Mulciber ipſe ſuo.
Ex illo humanos vigor igneus excitat artus.
Ex hoc nonnullis reddita vita fuit.
Alterius flagrans odio ſecta vtraque dum vult
Sola coli hæc petulans,illa ſuperba nimis,
Mutua figentes cornicum lumina vulgi
Exponunt ambæ propria facta iocis.
Poſterior tamen eſt freno moderanda prioris,
Vt prior alterius ſæpe iuuanda manu.
CA. Parce timens.Si lædis eos quos vulgus adorat,
Suſpicit auditor,rex alit,aula fouet.

Cenſorum patiere notam. So. Mihi fauit vtroque
Pollice Phœbæus nobilis ille chorus.
Hos omnes veneror, ſed te qui ſuſpicit, idem
Inſanit ſimilem Mænius in Bauium.
CA. Nunc dum vtriſque faues, ſed ſic vt vtroſque reprendas
Hoſpes vtriſque ſimul, forſan & hoſtis eris.
Nam ſunt externum qui clamant quiſquis eorum
In numero ſcriptus non fuit ante pater.
Exulis inſtar habent, atque vmbræ more vagantem
Ceu ſapiant ſoli ſe procul eſſe volunt.
Iis dantur magni medicis maioribus ægri:
Quos inter ſi non obſequioſus eas,
Plebs eris & miſeri viues mercede lucelli
Fœniſecis medicus factus, & agricolis.
So. Spectatus ſatis, & donatus iam rude magni
Non facio qua me claſſe locare velint.
Exili damnat te gens tua dixerat hoſtis
Cuidam olim patria, qui procul hoſpes erat.
At mea (reſpondit) toto gens exulet orbe
Impero, ſitque vrbis carcere clauſa ſuæ.
Tectum pigra licet nunquam teſtudo relinquat,
Fit tamen haud paucis obuia præda feris.
NEC SVM adeo externus, dialectica nanque relictis
Grammaticis illic ſum didiciſſe memor,
Pariſiis vbi nunc doctrina excellit Athenis,
In ſophiæque ſacris Graia Minerua præeſt.
In logicos phyſici tyronibus auxiliares
Tunc Magnus nobis, & Violanus erant.
Dignus vterque rudes qui concertando doceret
Eſſe aliquid vero nominis auſpicio.

Poſt logicen ſtudium de more impendimus arti,
Quam de natura ſcripſit Ariſtoteles.
Syluius inde fuit nobis præceptor, ab ore
Cuius pendebat tunc ibi turba frequens.
Hollerius Coi bene mane oracla docebat
Hippocratis magna ſedulitate domi.
At ſimul amborum auditoria peſte quierunt,
Montpeliæ placuit viſere ſacra ſcholæ.
Tunc ibi præceptor me Fontanonus habebat
Aſſiduum, ægrotis quando ferebat opem.
Hoſpes me comitem quotquot veniebat ad ægros
Ducebat prudens ille Saporta meus.
Rondelettus ibi doctorum gemma vigebat,
Quo melior nemo candidiorque fuit.
Præuius in ſtudiis auſpex, in agone Palæmon
Solemni voluit præſes adeſſe mihi.
Poſt ſtudiis autem data tempora, poſtque palæſtræ
Collatum medicæ munus Apollineum
Curriculis tribus (antiquo de more) docendo
Emenſis facta eſt miſſio fauſta mihi.
Menſibus inde aliquot mihi dulcis Auenio (doctis
Grata quies muſis) hoſpita tecta dedit.
E ſuggeſtu illic (iuuenem ceſſare pudebat)
Manaldus, qui tunc languidus æger erat,
Ipſe vicem pro ſe lectoris obire rogauit,
Non ſine ſuffragiis atque fauore ſcholæ.
Tunc in ea Bailliuus erat, qui poſtea doctor
Teſtis in hac locuples re mihi ſæpe fuit.
Viderat hic etenim mihi conceſſiſſe magiſtros
Vnanimes cœtus, qui numeroſus erat,
Illa iure pari mihi tunc vt in vrbe liceret
Exercere artis, quam profitebar opus,

Quo medicos in eo conſcriptos ante Senatu
Mos erat auxilio ciuibus ire ſuis.
Sponte ſua fauit mihi tunc Guillmus, & alter
Excellens in eo doctor & ille choro.
Inde Aram placuit Latæ deſcendere: Phœbi
Tunc ibi florebat Valleriola decus.
Villanouanus ab hinc (ſene quo fœlicior ægris
Non fuit) hoſpitium iunxit amicitiæ.
Viſere non piguit quoſcunque vel arte, vel vſu
Illis vera fuit fama valere locis.
Euagor oblitus præſentis tædia rixæ,
Dum ſtudij recolo tempora læta mei.
CA. Sperani vetulæ poſſent ciniflonibus addi,
Et fora qui circum vendere verba ſolent.
SO. Vis dicam? nolim vel nunc medicamen anile
Spernere, ſucceſſu ſuppeditante fidem.
Vt venit ex agris vrbana in fercula quicquid
Ventriculo ſatis eſt, vtiliuſque ſapit,
Sic ex plebe vadum quaſi prætentante mederi
Hippocratis quondam prædidicere patres.
Si nili Romano quæ lana colore niteſcit
Patria Romanis non daret vlla togas,
Sola ſuburbano ſi farta Lutetia rure
Nata ſuis vellet ciuibus eſſe cibum,
Denique ſi magnis niſi quod fit in vrbibus eſſet
Vrbana dignum veſte gulaque nihil,
Gaudia rara forent conuiuis, rara theatris
Maieſtas, & egens ditibus eſuries.
Sed neque commerui me vt diffiteatur alumnum
Hæc ſchola facta mihi prima vetuſque parens.
Quantulus hic Cæſar meus eſt & quidquid in illo
Inuentæ nobis vtilitatis ineſt.

Illius ante aram procumbens offero, natas
Non ita fœlici tempore primitias.
CA. Scilicet inde tuos noſtris conferre maniplos
Audes Hippocrates ruſticus antidotis.
Orbis vterque ſuis opibus nos ditat: habenda eſt
Tam procul aduectis gratia ſummus honor.
Sed tibi contento natis in paupere gleba,
Nataliſque ſoli ceſpite diuitiis,
Sæpius è multis olus vnum ſufficit, idque
Moroſa lectum relligione nimis.
Ambitioſa (reor) cura eſt hæc: non ea noſtri
Ordinis eſt in re ſollicitudo leui.
Non metuis quæſo tua ne præſcripta iocoſo
Excipiant noſtri ſcommate ſi qua legent?
Quid niſi dum tanti facis iſta minutula vaſtum
Ex muſca nobis vis elephanta dari?
SO. Nemo vetat ſapiens ſtultum inſanire; dicacem
Vt taceant fruſtra iuſſerit Harpocrates,
Cognita mille locis noſtri diuturna laboris
Proſperitas, animi ſedulitaſque vigil,
In ſannas mihi ſunt vt murus ahæneus iſtas
Cum mihi nullius ſit male conſcia mens,
Scommatis idcirco medeor ſecurus amicis
Affixus proprij legibus officij.
Ignauus quidam (liceat componere magnis
Paruula, ceu paruis maxima ſæpe licet)
Ignauus latias (inquam) decumaſſe cohortes
Acrius, & prædæ furta tuliſſe domum
Accuſabat eum pro roſtris, inque Senatu
Quo Byrſæ fuerant diruta tecta duce.
Is ſpreto nebulone inquit. Meminiſſe decebat
Hoc inimicæ vrbis mœnia capta die.

Vos igitur mecum ſuperis perſoluite grates,
Et capitolino ſacrificate Ioui.
Dixerat: hunc patres populo ſtipante ſequuti
Sanxerunt patriæ nomen habere patris.
Vrbica ſed tua ſint, mea ruſtica, dummodo nõ ſint
Quod tua, gaudeo ſint qualiacunque voles.
Nam pietatis amor, veri reuerentia, fraudum
Neſcia ſimplicitas ruſtica tecta colunt.
Ægros omne genus plures è faucibus Orci
Tam fugienda vetans, quam facienda iubens
Aſſerit ars ductum naturæ cauta ſequendo
(Sed DOMINO imprimis ſubſtituente manum)
Exangues animas quàm quæ detrudit eodem,
Offarcitque ſuis plus ſatis elleboris.
In minimis moroſa iocans examina rebus
Obiicis: at medicæ hic pars bona laudis ineſt.
Non explorata quis vel Mars ibit in hoſtes
Qualeſcunque enſis cuſpide fulminei?
Sed quos non hodie peregrinis credere dextris
Conquerimur, fuerant quæ peragenda ſuis?
Quidquid vterque autem nobis communicat Indus
Oſtentare ſoles, id ratus eſſe tuum.
Talibus at quando fert ægri lauta facultas
Ex arte auxiliis vtor & ipſe libens.
Pharmaca principibus noſtris ſi quando parantur,
Iiſue, quibus ſolum rara placere ſolent,
Hæc damus. At noſtris popularibus ære minore
Non minus auxilium patria terra parit,
Nam plures memini patrio naſcentibus horto
Stirpibus, aut prato reſtituiſſe ſibi,

Quàm procul aduectis,& vermibus intus & extra
Eroſis(vt fit)mercibus,atque ſitu.
Fabula in humanas nunc eſt peccare ſalutes,
Quam ſibi concordes vnus,& alter agunt.
Illius in calicem ſtertit vigil alter,at ille
Eius ſcripta lucri captus amore crepat.
Sic manus vna manum fricat,alter aſellus aſellum.
Qui iacet interea ringitur ager inops.
CA. Hæc tu cum ſtomacho? So. Sed verax nec cerebroſo,
(Si bene me noſti)captus amore mei,
Denique felle carens.tamen(aiunt)ſi nimis angas
Et ſua formicæ eſt,& ſua bilis api.
CA. Loripedem claudus rides,ridendus & ipſe,
Cæſaris hac partum ruſticitate tegens.
Hic latet,at vereor ne mox vaneſcat in auras
Cæſareæ tuus hic ambitionis amor.
So. Rem mihi nunc igitur tecum vno faxo, remotis
Hinc noſtri ſtudiis omnibus,hinc odiis.
Tun' cenſes tantis academiis in tribus,& tot,
Tamque bonis vſum,tamque diu ducibus
Me(licet haud ita ſim natura induſtrius,vt nec
Facundus,memoris diues & ingenij,
Sed ſpernens veri prætextu obtrudere falſum
Puluereæ arguta calliditate ſcholæ.)
Immemorem pacti iurando iure iubentis
Vt medicis veri nil ſit amore prius,
In rebus tantis,etiam mercede(quod abſit)
Adductum doctorum ante tot ora virum
Infamem medici famam mendacis inepto
Hoc me venari conſtituiſſe libro?

Diſcipulos veri ſtudio flagrare perenni
Priſca (licet Græci) lex iubet Hippocratis.
Sed mihi quid præter noua tædia, damna, laborem
Auræ ferret in hac re popularis amor?
Nam plus fert oneris, qui plus affectat honoris,
Quin ſuperat laudis ſollicitudo modum.
Adde quod hæc (vt vis) res tam ſcelerata, patrari
Quam niſi profuſo ſanguinis amne negas,
Pro fama pareret ludibria, crimina, ſannas,
Hoc maiore mihi non adeunda metu.
Sed non tantus ineſt iis aut dolor, aut cruor vt ſi
Examen iuſta quærere lance petas,
Non cedant magnis diſpendia paucula lucris
Iis, quibus affulget ſpe fugiente ſalus.
At ſi quis temere, & re non cogente, vel abſque
Spe faceret fieri quod mea ſcripta docent,
Audiret per me non iam chirurgus, at ipſo
Diſcipulus ſæuo ſæuior Archagatho.
Eſſe aliquid nunquam ſperans Eratoſtratus vſto
Ex Epheſi templo nobilis eſſe volens
Sacrilegos inter ſummum ſe iactet haberi
Sacrilegum: ſceleri laus ſcelerata placet.
Nos generi prodeſſe hominum cœleſte putamus.
Virtuti ſua laus, vel ſine laude ſat eſt,
CA. Pro cunctis illi, quem potio dira cicutæ
Suſtulit vrbs olim plus ſatis vna fuit.
Ergo tibi quorſum tam vana profectio? Romæ
Abſens ſpectari Græcia tota poteſt.
In patriis poteras hic abſque labore palæſtris
Certare, atque tuæ ſtertere deinde domi.
SO. Scilicet hæc etiam rerum ſecura tuarum
Te cruciat noſtri ſollicitudo grauis?

Qui deſes non vult alibi, vel neſcit ineptus
Viuere, quàm patrium cognitus ante focum
More ſuo viuat. Sed enim patiatur eodem
Iure libens ritu viuere quenque ſuo.
Spongiolæ ſcopulis hærere tenaciter optent.
Nos toto ciues fecit in orbe DEVS.
CA. Attamen innumeris pro Græcis Roma Galeno
Vrbibus vna dabat ſatque ſuperque lucri.
So. Hoc illud rursũ eſt, ſpecie quod ſemper honeſti
Exempli, canitur tecta querela tibi.
Nempe tibi ſordent præ magno ſcilicet iſto
Cætera vel priſci nominis oppidula.
At iuuenis Graias vrbeſque, ſcholaſque, viroſque
Diſcendi ſtudio viderat ille prius,
Quam foret accito Romam data cauſa videndi
Iam digno vt medicus Cæſaris ille foret.
CA. Mutato mutari animos ne credito cœlo.
So. Sed ſcio multa pigro ſæpe putrere ſitu.
Sit quamuis natura ferax, inque artibus ætas
Cuilibet humanis non male docta prior,
Sit ſchola diſcipulo quamuis famoſa frequente,
In ſtudiiſque loco conueniente ſita,
Sit volo præceptor doctrina tantus, vt inter
Doctores nullis arte ſecundus eat,
Nil deſit ſtudiis, ſed quicquid habere neceſſe eſt
Suppetat, vt libri, reſque relicta patrum,
Indefeſſus ad hæc labor, atque induſtria; non ſunt
Vt medicum faciant hæc ſatis Hippocrati.
Ante iubet mores multorum noſcat, & vrbes
Quàm verum medici nomen habere queat.
Non ſola Hippocratem ſua Co, ſua ſola Galenum
Pergama ceu clauſos continuere domi.

Si nihil inde aliud, ſaltem noſtratibus ante
Nota parum medicis cauſtica dicta tuli.
Cauſtica chirurgis paſſim nunc obuia, ſed quæ
A multis tam ſunt non bene ſueta dari,
Vt prope pœniteat niſi pluribus inde veniret
Morborum victa certa phalange ſalus,
Hæc accepta mihi (quod non agnoſco) referri
Cum ſint in veterum ſæpe reperta libris.
CA. At tua diſplodent reliqui pretioſa ferentes.
Vix populo vendi merx leuis iſta poteſt.
SO. Merx mea ſi leuis eſt, minus inde grauabitur emptor.
Quæ ſunt cara nimis, ſunt mihi chara minus.
Spartam quiſque ſuam per me tueatur, & ornet.
Congeſtum tuguri cæſpite culmen amo.
Sæpe caſas humiles, & agreſtia tecta ſubiuit
Qui capitolina ſedit in arce Deus.
Rodere qui mauult vrbana diaria ſemper,
Contemnens ſanctæ ruſticitatis opes,
Infœlix neſcit toto plus eſſe frequenter
Dimidium, quo fit vita beata modo.
Pœona quem medicum diuis affinxit Homerus
In iuramento præterit Hippocrates.
Humanos idem curantia numina morbos
Ipſe nepos diuum, ſemideuſque vocat.
At mea vel pereant patiar, modo viuat in illis
Quod fauſte fieri poſſe docetur opus.
CA. Triſtia lecturis, & agentibus horrida ſcribis.
SO. Sed ſubeunda quibus cætera deficiunt.
CA. Dum rate quis certat fragili ſuperare procellam,
Spectantum ignoto corda timere ſolent.

Sed magis horrendum eſt (proprio licet abſque pe-
Vicini præſens cernere naufragium. (riclo)
Ergo quid hoc tandem, ſi res tua, ſiue tuorum
Eſſet, an auderes hæc tua ſcripta ſequi?
So. Di meliora. tamen ſi res ita ferret, ad illud
Vel plorans irem ſedulus auxilium.
Iactura exhauſti licet vna mille laboris
Spes periiſſe annis iam grauis aſpiciat,
Nil præter lachrymas vxori, nil niſi natis
Atque ſibi quamuis adferat eſuriem,
Solamen miſero tamen eſt, ſi vellera ſiccans
Euadat lacera naufragus in tabula.
Ex multis etenim facimus quæ ſæpe coacti
Si quod triſte minus noſcimus, id facimus,
Dura quidem res eſt; verum patientia lenit:
Et quæ ſunt frangi neſcia, corrigimus.
Non aliter quàm ſi vetularum induſtria ceſſet,
Nilque iuuet medica potio mixta manu,
Dextera chirurgi, vuluamque dioptra recludens
Nil agat, extinctis fœtibus vtilior,
Poſtremo niſi iam præſentem ſingula mortem
Intentent, nullo non abeunte domum,
Huc volo Cæſareus properet chirurgus, in hac re
(Optio ſi detur) mente, manuque valens.
Tum demum accitus precibus poſcentis opellam
Hanc miſeram miſera cum genitrice viri,
Atque adeo forti languentis robore, quæ ſpem
(Illicet exiguam) ſtrennua concipiat,
Accedat prudens, vultu mentitus aperto
Quæ metuenda intus cum ratione videt.
Nolo ſed ipſe ſibi veniam quamcunque precetur.
Auſpice non peccat, qui facit iſta Deo.

At proteſtandum ſeductis(vt fit)amicis,
Quanta periclorum ſubſit vbique phalanx.
Nam vix fit facinus magnum,& memorabile quod non
Laude trahat magni digna pericla viri.
CA. Quæ ſibi deberi tonſorculus vnus,& alter
Iure ſuo clamant fur tibi rota rapis.
SO. Horum facta cano.quod ſi componere magnis
Paruula, ſi fictis hæc mea vera licet,
Eloquar, an ſileam? mihi ſunt quod Achillis Homero,
Æneæque fuit gloria Virgilio.
Amborum neuter tractauerat arma poëta:
In laudis partem venit vterque tamen.
His ſine quiſnam illos magni licet æmulus acti
Optaſſet prudens per fera bella ſequi?
Quis medicus(magna quamuis decoratus abolla)
Chirurguſve vſu clarus,& arte valens
Non prius admonitus ſic læſo viuere ventre
Nonnullas,quarum mors erat ante fores,
Incuteret fidens tam lato vulnere ferri
Tam multis aciem partibus innocui?
Præſens chirurgis,& ſcripto ſæpe notaui
Abſens quí fieri debeat illud opus.
Denique quid lætis memorabile caſibus vnquam
Acciderit,vere ſcribere cura fuit.
Iis bene rem fieri ſit fauſtum. ſed mihi quanti
Cura illis fuerit ſcribere vera,ſcio.
CA. Te procul, atque extra teli conſiſtere iactum
Cum videas alios tutus ad arma vocas.
SO. Ordine peruerſo confertos ibit in hoſtes
Dux quando ignauus miles in vrbe lauat?

Iuſſa ducis miles detrectans,eminus inquit
Imperitas: hoſtem comminus aggredere.
Scipio tunc. Mater genuit me iuſſa daturum.
Hunc res eſſe iubet publica,non pugilem.
Officij expleui numeros matura fideli
Conſilia arte illis non ſemel expediens.
CA. Nos apud eximiis aliquot tua ſcripta ſequẽdo
Hoc opus expertis ceſſit in opprobrium.
SO. Id ſcimus:nam fama fuit. ſed crimen in arte
Aut ægra fuerit diſce,vel artifice.
Viribus ægrotæ fractis natura fauere
Quamlibet egregio non valet Hippocrati.
Ante vocarentur quàm nondum ſat bene gnari
Tres, quatuorue operis turba togata noui
Abſtulerat vires diuturna,frequenſque cateruæ
Obſtetricantis carnificina loquax.
Præterea quidam languentis membra miſellæ
Suſpendens miris torſerat ante modis.
Deinde manu,atque vncis alius, mappaque retorta
Sic prætentarat vellere ventris onus,
Intactam vt vellet,cœpto deſiſtere iuſſus,
Cum nihil efficeret tam laniena grauis.
Dumque foret præſens iam plurima mortis imago,
Tunc cœpta eſt fieri ſectio ſera nimis.
Mox rigidum tetigit brumali tempore ſectam
Infeſtum plagis,viſceribuſque gelu.
Præterea fœtus caput ingens auxerat hydrops.
Latior vnde illi porta ſecanda fuit.
Et nunc accuſant vulgi de more medentes
Excuſanda: vetat quod tamen Hippocrates.
Nam quod vi morbi damnum datur, id medicantes
Si tribuunt medicis nequiter auxiliis,

Quid non ingrati faciet fex infima vulgi?
Sed mus ſæpe ſuo proditur indicio.
Ecce autem multis in circunſtantibus alta
Ex cathedra quidem vt Iuppiter intonuit,
Omne Machaonij templum tremefecit Olympi:
Augure ſed ſurdo, nec metuenda tonans.
Quod factum ſemel eſt etiam ſi numinis inſtat
Audiat, infectum reddere non potuit.
CA. Quid minimi facient, nequeunt ſi talia tanti,
Quorum vel minimo ſummus habetur honor?
SO. Non ſemper (vel eo ſic teſtificante) ſecundus
Curarum euentus contigit Hippocrati.
Nanque ſolent artis ſperatum cludere finem
Plurima citra artis crimen, & artificis.
Nil non condono (ſi qua eſt iniuria) votis
Horum queis iacta hæc alea prima fuit.
Dicere de paucis metuentem offendere multos
Plura vetat genij lex taciturna mei.
De tantis ſileo: ſed quorum inſcitia, faſtus,
Torpida ſegnities, aſperitaſque manus,
Formidoque excors, & feruor ad omnia præceps
Probro ſæpe bonis artibus eſſe ſolent,
Iis ego ni fallor iuſte ſuccenſeo: nanque
Hæc non eſt artis culpa, ſed artificis.
CA. Quale doces, nil tale tui præſcribitur actum
Te præſente libri prorſus in hiſtoriis.
SO. Illud nempe moram procul aduentare rogati
Non patitur medici vel properantis opus.
Ij quibus in magna medicantibus vrbe propinquo
Chirurgema loco tale iubere datur,
Spectatum admiſſi mature ſingula nobis
Longinquis melius, commodiuſque notent.

At ſemel, atque iterum licet abſens illud obiti
Iuſſi, cum premeret me valetudo grauis.
Sed mox vt vires mihi permiſere receptæ
Nondum ſanatas viſere cura fuit.
Tunc ego perluſtrans oculiſque, manuque notaui
Obductis nondum ſingula vulneribus.
Produxi teſtes, cum pagis, & grauidarum
Nomina viuentum, quoſque habuere viros.
Tempus ad hæc, annos, menſeſque, diemque, modumque
Secturæ, atque locum ventris, & artifices.
Si tamen his manibus memet feciſſe faterer,
Aut legiſſe oculis omnia proloquerer,
Non minus è rebus frontem periiſſe boares,
Quàm nunc tot veniens teſtibus inficias.
Cur vis plura tibi, quam quæ ſunt vera referri
Ingenua ſcripti ſimplicitate mei?
Tam mihi mentiri, quàm non reticenda tacere
Indignum medico creditur eſſe probo.
Ex illo tali de partu exempla fuerunt
A doctis ad me plurima miſſa viris.
An potis es ſpectare tuo quæcunque bibenda
Ægris dat iuſſu pharmacopola tuis?
Chirurgo venas te præcipiente ſecanti
Cuilibet an præſens ſemper adeſſe potes?
Atqui non minus eſt illic plerunque pericli,
(Poſtibus atratis quod probat vrna frequens)
Quam ſit in obſtructo grauidarum ventre ſecando,
Reddere quas vitæ ſectio ſola poteſt.
CA. Quæ nō obſtetrix latrat cane peius? So. At iſtas
Vna meri faciet plena dyota meas.

CA. Te matrona grauis conſpecto exterrita pallet.
SO. Quid ni? cum puros nauſeet ante cibos?
CA. Mille licet cauſis plaudas tibi talibus, vno
Omnis te populus ſibilat ore tamen.
SO. Dum bene quid faciunt reges, maledicta reportant,
Munus ob id regum nullus inane putat.
CA. Quæ ſchola non reprobat tua nugamenta?
SO. Scholarum
(Saltem queis veri eſt mens ſtudioſa magis)
Iudicium ſubeo: ſi venerit inde Palęmon,
Non fugiam, ſperans mox ſit vt ille meus.
Oppugnare alij rationum caſtra verentur,
Quas ego de læſa triplice parte traho.
Quod ſi nulla ſatis ratio illis noſtra probatur,
Per me diſquirant abditiora licet.
Non equidem inuideo cuiquam meliora, ſed opto
Vtiliora meis, & mage læta dari.
Sed fierine queat, quod fit non quæritur: at cur
Id fiat ſapiens quærere rite poteſt.
Quod factum ſemel eſt, infectum nō facit vnquam
Cauſarum cauſas cauſa ſuprema mouens.
Non alia melius Cous ratione magiſter,
Affectoſque locos Tros reperire docens,
Et quotquot ſummo medicina affecit honore,
Artem conuincunt nonnihil eſſe ſuam,
Quam dum ſanati producto ante ora negantum
Exemplo morbi, re ſua dicta probant.
Quod ratio ſine re perſuadet, opinio multis
Dicitur, erroris fons & origo frequens.
Sed manifeſta rei experientia certior artis
Eſt via, quæ legis cognita nomen habet.

CA. Iis

CA. Iis tamen in ſcriptis cũ Cæſare plurima nõdum
Edita, quinetiam deſita multa nouas.
SO. Quæ patrum ingrati ſpreuere inuenta nepotes
Plurima mille olim ſueta iuuare modis,
Quæque vel ij molles, propria vel in arte ſupini,
Degenereſue manu non potuere ſequi,
Exilio pietas dictat reuocandà, rependens
Illorum priſcis hæc noua muneribus.
CA. Nomen abortiuo das, quo vadimonia Cæſar
Deſerat ipſe, tui dictio prima libri.
Pro flamma fumos, carbones pro locuplete
Theſauro nobis hæc tua ſcripta ferent.
SO. Quos tu carbones vir carbonarius, atque
Fumoſus fumos me tibi dare times?
Ipſe licet nunquam carbonem extinguere veſtrum,
Tectaque iurarim frangere vitra luto,
Attamen (Alecto quaſi quædam) concitus ira,
Me petis, at puppo parce nocere meo.
Si te nulla mouet pietas, patriaque laborem
Moliri non vis vtilitate ſuper,
Maieſtate mei nunc læſa Cæſaris, olim
Proſpice ne peragat te tua culpa reum.
Vis meus vt Cæſar nullo ſtippante, puerque
Et peregrinus eat per tua teſca pedes?
Si genus humanum, teneros ſi Cæſaris annos
Temnis, & hæc nihili tam ſacra dona facis,
At ſpera memorem fandi, ſimul atque nefandi
In te miſſurum fulmina iuſta DEVM.
Si neſcis DOMINI ſunt hæc inuenta, docentis
Indoctos doctis ſcire negata ſophis.
Si qua (vt fit) ſubſunt obeliſco digna, monentis
Subduco ferulæ promptus vtranque manum.

CA. Grande operæpretiũ medicis fuit hæc tua ſciri,
Imperfecta horum ne medicina foret!
SO. Si minimum iungas iis, quæ ſunt maxima, fient
Se maiora ipſis maxima de minimo.
Paruulus in magnum qui riuulus influit amnem
Fit pars eius, erit portio deinde maris.
CA. Quo tua tam nihili de rebus quæſtio? Nanque
Sat fuerat dici hæc facta fuiſſe ſemel.
SO. Non ſemel id volui ſaltuque Rhodoq; (quod
Monſtratis, foret vt certior inde fides. aiunt)
En modo qui nimium paucis noua noſtra probari
Nugabare, audes poſcere pauca leuis?
Quid potui breuius? quid planius? At fugientes
Scire, rei ratio, ſuadaue nulla mouet.
Senſibus obiectas manifeſtis falſa ſcientes
Argumenta, leuis more ſophiſta ſcholæ.
Surdior eſt ſurdo quicunque audire, quod audit
Diſſimulat, ne ſit vera negaſſe pudor.
Sed veluti ſpecies nulla eſt tam pulchra dearum,
Quæ Momi non ſit riſibus expoſita,
Sic via loripedi nulla eſt tibi plana; malignæ
Rancidulum dentem nil fugit inuidiæ.
At ſi te breuitas breuior delectat, abito
Ad loca quæ ſcriptis prodo; tacebo libens.
Non aliter tot vecta locis exempla probabit,
Qui breuius nobis illa probare volet.
CA. Senſibus interdum tamen argumenta relictis
Vis faciant dubiis rebus adeſſe fidem.
Sic manifeſta probans per nõ manifeſta, probandi
Artificem ignarum te ſatis eſſe probas.
Solus enim ſenſus quauis ratione magiſter
Chirurgis melior debuit eſſe ſatis.

Nunc vis remigio rationis adire Corynthum,
A ſenſu breuior quò via tuta datur.
So. Qui manifeſta probat manifeſtius, ille probãdi
Omne ferens punctum ſe probat artificem.
Alterius ſibi poſcit opem res altera ſæpe,
Vt cùm non iiſdem eſt vna ſtruenda fides.
Ca. Vix duo, vix quiſquã (turpe & miſerabile) do-
Te duce chirurgus tale ſequetur iter. (ctus
Iamque parum fauſte qui tentauere, quod vrges
Ceu bello attoniti terrificante duces,
Se iurant nullis precibus, pretiiſque redemptos
Huic operi rurſus velle adhibere manus.
So. Vt libet. interea ſine ſpe perdenda relinqui
Et fœtæ, & fœtus corpora quale ſcelus?
Deſine dixit anus quædam rex eſſe Philippo,
Aut mihi quod debes arbiter æquus ades.
Deſinat excellens chirurgi nomen auete
Quiſquis ab hac pauidam ſubtrahit arte manum.
Peccat enim vecorde metu, exemploque minores
Forſan id auſuros territat artifices.
Sed curnam repetunt toties patrata ſiniſtro
Euentu & culpa forte patrata ſua?
Ambitioſa illos famæ fortaſſe cupido
Hoc ad opus traxit, non pietatis amor.
Sat mihi ſi Dominvs prçeat. cum nãque neceſſe eſt
Dat velit vt nolens, perficiatque volens.
Ca. Atqui deterret famæ formido ſiniſtræ
Ne male poſt cedat res bene geſta prius.
So. Quò tituli, gemmæ, toga, pilea, publica legis
Otia priuatæ, nomine dicta gradus?
Inſtar habent clypei non in mendacia ſolum,
Cum vult in medicos perfida lingua loqui.

Verumetiam iuſtas eludunt ſæpe querelas,
Et veri ſpecie plurima falſa tegunt.
Attamen hos non eſt quærendum munus in vſus,
Quo rude donari ſanxit Apollo ſuos.
Qui ſapiens ægris medicando reſtituit rem
Peruigil, & cuſtos ſtrennuus officij,
Ponere faſtidit rumores ante ſalutem,
Quod iubet ars tuta ſedulitate ſequens.
Arma illum probitas, virtus, doctrina tuentur
Æreus & murus nil ſibi conſcia mens.
Spes lucri miſeros, & amor veſanus honoris
Quam multos vulgi mancipat obſequiis?
Dedecet ingenuos timor hic ſeruilis, amorque
Emendicandi nominis immodicus.
CA. Eſt nimis hæc multi tua ſectio plena pericli,
Et præter famæ damna datura nihil.
Si bene quid cedat, laus inde minutula ſurget.
Si male, quid præter crimen & opprobrium?
SO. Pharmaca vel tanquam nobis inimica, vel apte
Non data ſumenti ſint mala multa licet,
Sanguinis vbertim detracti copia, quamuis
Deiecto multos robore ſuſtulerit,
Vt non ſanarit medicatis fontibus omnes
Natura ægrotos, qua fluit antidoto,
Poſtremò quamuis ſuccellus ſæpe ſiniſtros
Egregium quoduis experiatur opus,
Attamen huc redeunt (vbi res iubet) ante malorum
Immemores famæ quos amor iſte coquit,
Protinus vt repetant quæ morbo ſæpe grauante
Non ratione operis damna dedere prius.
Accuſanda venit culpæ excuſatio tantæ,
Crimen habens primo crimine deterius.

CA. Num precor affectas ſcribens hæc mira vocari
Mirus inaudita ſcriptor in hiſtoria?
SO. Tale nihil ſpecto, verum miracula ſunto
Si placet, atque ideo mira putanda magis,
Quod modo ab indoctis ea ſunt patrata miniſtris,
Expertis nunquam talia facta prius.
Non tamen inde mihi tantillum blandior, optans
Tam miris minus hæc mira fuiſſe viris.
Nam cum ſit nulli res hæc incognita vulgo,
Scripta quid hæc mihi ſunt quâ ſine meſſe labor?
CA. Hæc tamen innumeris obnoxia cura periclis
Si datur in vulgus, quis modus artis erit?
Quæ non audebit poſthac homicidia treſſis
Quolibet in pago tonſor, & vrbe manens?
Si cauſam quicunque mali dat, primus haberi
Admiſſi debet criminis ille reus,
Author & illorum cenſeberis eſſe malorum,
Cæſareæ faciet quæ laniæna manus.
Sanguinis è venis mira virtute trahendi
Prædita apud priſcos planta reperta fuit.
Illa repertori (ne queis foret exitioſa,)
Cauſſa necis fertur iuſta fuiſſe ſuo.
SO. Dum tu ſanguifluæ triſti ſtomachoſus in herbæ
Exemplo clamas me meruiſſe crucem.
Occiſum merito talem qui protulit herbam
Admiror cur tu dixeris hæmophilos.
Nam tua proſcriptæ quaſi plebi plena cruoris
Quo non præſcribit dextera mane necem?
Te longe vtilius multos hæc herba iuuaret,
Si daret hanc ægris doctus, & experiens.
Sed quænã inuidia eſt, quod publica cõmoda lædi
Eſſe mihi ludum deliciaſque vocas?

Quam nullis fuerim damno, multiſque ſaluti
Scire (licet nolens) vt reor ipſe potes.
Quam te dedeceant iſthæc conuicia, norunt
Inuiti leuitas queis grauis iſta tua eſt.
Ne mihi ruſticulos chirurgos obiice, quorum
Auxilio grauidis vita redempta fuit.
Nam ſolis horum meritis accepta referri
Hæc debet tanti res operæpretij.
Nunc quibus ingenij vena aurea, nunc quibus artis
Cingit honorata laurea fronde caput,
Horreſcunt veluti nudo pede qui terit anguem
Audito tanti nomine ſubſidij.
Nonne fuit ſatius lippo tonſore doceri,
Expertiſque manus tradere diſcipulis,
Quàm prohibere probris (ſaltē quādo indiget vſus)
Ne quod ab iis fieri debuit, vllus agat?
Maſſa rudis primum cultu accedente niteſcit,
Aurea cudendis apta numiſmatibus.
Vt canis Æſopi pecus à fœnilibus arcet,
Quamuis ſe fœno non alat eſuriens,
Sic nunc grande ſophos profitentis turba ſophiæ
Quod neſcit cunctos inuida ſcire vetat.
Hippocrates quōdam licet is ſcriptoque, manuque
Artis tractaſſet ſingula membra ſuæ,
Non tamen erubuit quæ nondum norat (opinor)
(Tanto ſi qua parum nota fuere viro)
Sed ſi quid potuit forſan neſcire, modeſtus
Experti manibus credidit artificis.
Talis erat lapidum noua tunc auulſio, ſed qua
Vix hodie magis eſt vlla medela frequens.
Hac nunc cùm viuant aliquot quocunque trahēte,
Quos grauior letho torſerat ante dolor,

Vndique concurrens medicorum turba fauere
Indocti manibus cogitur artificis.
Atqui veſicæ differri, aut tota relinqui
Sectio ſæpe ægro rite valente poteſt.
Hanc tamen innumeri ſubeunt iuuenesque, ſenesque
Sic viſi extremum claudere ſæpe diem.
Nam (bene ſi numeres) quota pars reualeſcit eorum
Quos iſti adfigit cauſa coacta cruci?
Tam raros tanto nantes è gurgite ſi quis
Nunc videt, hos inquit Iuppiter æquus amat.
Certe hoc vtilius, magis vrgens, atque periclis
Non æque multis eſt opus expoſitum.
Interea manibus metuit quæ tangere cenſor,
Inuidet indocto pro pudor artifici.
CA. Captus es, euentu ſi res metiris ab ipſo;
Pluribus eſtque actis maior habenda fides.
Inter enim primos non vltimus vnus, & alter
Queis olim cura eſt credita ptochodochi,
Ille ter, hic decies opus hoc aggreſſus iniqua
Semper Lucina ſe quoque teſte fuit.
Incerto audierant incertas tempore fœtas
Sectore incerto ſic peperiſſe prius.
Mendicis igitur moribundis cum pariendi
Spe dempta vellent (qua licet) eſſe pij,
Semotis illas ſecuerunt teſtibus, vt ſic
Talia deinde palam, vel meliora darent.
Promeriturus enim dites in Care periclum
Paupere tyro rudis, calliduluſque facit.
Atqui vtero, tunicæ ventris, ſectiſque lacertis
Suturæ addiderat vincla perita manus.

Quid præſtare poteſt paganus tale refector
Barbarum, qualem nunc ſuper aſtra vehis?
Illa quidem primum ſciri metuere, timentes
Inuidiam, qua te perdere ſponte paras.
Sed nunc ingenue didicit quod vterque, fatentur.
Commoda pluris habent publica nanque ſuis.
So. Iſta negata prius ſibi nunc tentata fatentur.
Liuor id, an ſcelerum conſcia dextra facit?
Vtri credendum? cum noſtris credere neuter
Inducat mentem teſtibus innumeris.
De facto ambigimus: nec enim (licet ij fateantur)
Hos volo tam ſæuos credere carnifices.
Attamen ambigimus. ſed faxo hos vera fateri,
Et grauidas miſeræ, mille dediſſe neci:
Nil mirum. peccaſſe illos ſe teſtibus ipſis
Arguit ars, nimium quæ fuit artis amans.
Diuiſere vterum diuiſo abdomine, quæ mox
(Vt memorant) acubus iungere cura fuit.
At prius vt fieri debet, vitanda ſecundi
Ambitioſa nimis ſollicitudo fuit.
Toto dimidium tunc demum pluris habetur,
Cum rebus nondum eſt regula certa nouis.
Cautius audendum vel in ipſo Care, requiret
Vitam inopum Dominus de iugulante manu.
Non ligna, aut lapides, pretioſior eſt medicinæ
Subdita materies quilibet æger homo.
Vt Deus in morbis gemmata ligonibus æquat
Sceptra, pari medicus pharmaca more parat.
Caſu autem ſuſpecta nouo experientia debet
Expertos omni ſemper in arte ſequi.
Cum toties igitur cecidiſſet tam male nunquam
Iiſdem fœlici ſectio facta manu,

Cur ea quæ noſtris bene ſucceſſiſſe recenter
Audierant tumidos diſcere tam puduit?
NVNQVAM vulua ſui debet. nam faſce leuata
Fit minor, & plagam iungit vtrinque ſuam.
Quamuis ſit minimùm qua parte ſecatur in alto
Corporis ipſius ſenſilis illa ſinu,
Illius ima tamen pars acri prædita ſenſu
Vicino afficitur vulnere, ſana licet.
Senſilis eſt (fateor) quæ meninx viſcera veſtit,
Inque illis vterum (qua tumet) exterius:
At fungoſa caro, quæ ſubſtat, plena cruoris
Matricem vehemens ne dolor angat, obeſt.
Sed doleat, ſtupeatue vteri pars læſa, quid ad rem?
Nerui, aut membranæ ſtamine texta licet.
Membranoſa queunt tutò, & neruoſa ſecari.
Conuelli metuunt vtraque puncta tamen.
Neutra igitur pungenda eſt pars ita ſaucia, ſed nec
Muſculeæ partis portio multa nimis.
Quin vero iunctura cutis nec ſtrictior æquo,
(Ne doleat) nec vult plus ſatis eſſe frequens.
Sic etenim ſpatio ſuturas inter hiante
Pus facilè ex plagis effluet omne foras.
Viuentum nulli noſter pungente laceſſit
Vuluæ, & membranæ vulnera ſector acu.
Quin nec muſculeas curat ſuppungere carnes;
Sola cutis læui puncta foratur acu.
Laxe ſtricta coit, nulloque retenta dolore
Pus vacuat mediis iuncta foraminibus.
CA. Forſitan in paruo poſſunt ea vulnere credi
Vera, ſed in magnis non ita vulneribus.
SO. Fœtulus à docto ſcitur Cornace Viennæ
Ex matris tractus ventre fuiſſe ſenex.

Ex vulua primùm verſum inteſtina putrente
Venerat extremam ventris ad vſque cutim.
Conualuit tamen ipſa vltro.nam rite fluebat
Menſibus,& ſaniem reddere deſierat.
Annos iam quatuor cœno ſtabulatus in illo
Integer,& ſexum teſtificante nota
Non niſi diuiſo bene late abdomine totus
Illæſis potis eſt artubus iſſe foras.
Tam ſpatioſa tamen futuris ſectio nullis,
Tantum puluillo ſtricta decente fuit.
Nam reſupinato ſic inteſtina teneri
Corpore quæque ſuis tunc potuere locis.
Adde quod in rugas contracto ventre propinqua
Vtraque tunc plagæ labra fuere ſibi.
Enterocela quidem reſtat non parua, ſed iiſdem
Geſtari facilis cincta ſuperſtitibus.
Interea longè leuis illa moleſtia triſti,
Et præſente venit morte putanda minor.
Nam nihil alta nocet formæ,nil rebus agendis,
Faſciolis modo ſit rite repulſa ſuis.
Hoc facili damno grauidis mortale periclum
Cæſareus ſector præcauet iſte meus.
Cur aliis autem futura hæc partibus obſit,
Sufficiatque cutis vulnus vtrinque ſui,
In prompta cauſſa eſt,audiri nunc tamen aure
Has inter rixas qua decet impatiens.
Poſt mihi non ſimili cuncta hęc ſcribenda tumultu
Impero,ſic ſcriptis fauſtus Apollo meis.
Ca. Atqui ſpermaticæ(quam dicunt)vnio partis
Non fit quando ſemel diſſociata fuit.
So. Naturæ primo ſolidandi more fatemur,
(Id licet infantum det ſchola vulneribus)

Attamen indulget poſſint vt more ſecundo
Iungi ſpermaticæ vulnera particulæ.
Illa fit æquatis citra veſtigia labris,
Conſpicuas ſed habet vulneris iſta notas,
Membranas oculi, ventris, cerebrique negare
Nemo ſpermaticas, oſſaque dura volet.
Attamen hæc calli ſolidantur robore, nodo
Sæpe tenace magis, quam prius illa forent.
Nulli nota magis domus eſt ſua, quàm ſcholiaſtis
Quæſtio chirurgis hæc ſit in ore frequens.
CA. Qui tamen haud pridē chirurgica Gallica quę-
Romano voluit doctius ore loqui, (dam
Te non expreſſo (cenſorem agnoſce modeſtum)
Cæſaribus mittit triſte valere tuis.
Interpres doctus facit vt monumenta Paræi
Orbe legi toto facta Latina queant:
Experiens author quos non ſuper eminet? Ergo
Alcides cum vix opprimat ipſe duos;
Quid miſero reſtare tibi, quam ſanna, pudorque
(Si quid frontis habes) hic, & vbique poteſt?
Sed quo forte magis tibi viuit amicus vterque,
Hoc minus eſt illis defore prompta fides.
Nemo illos odio tua dicet carpere, nemo
Inuidia; veris quæ duo ſæpe nocent.
I nunc, quaſque potes fumi temerarius vmbras
Horum tam claris obiice luminibus.
SO. Quæ modo tā multis in eum dicētibus author
In lucem experiens patria ſcripta dedit,
Non modo chirurgon docuerunt lecta ſupremos,
Sed graphice pictis vulgus imaginibus.
Noſtrati populo verbis placuere Paræi:
Sit fauſtum doctis ſi magis illa nitent.

Scripſerat ante meis quædam aduerſantia dictis,
Nempe ſcholæ,& vulgi ſenſa recepta ſequens.
Hinc mihi cum priſco his interceſſit amico;
Qualis amicitias lædere nulla poteſt.
Inde tamen primùm ſcribendi occaſio nata eſt:
Nam ſecus impoſtor cuique putandus eram.
Pœnituit ſcripſiſſe virum.quæ nanque priore
Editione eius ſcripta fuere libri,
Poſtrema voluit monitus reuocare ſilendo.
Conſentit(tritum eſt)ſponte ſcienſque tacens.
Ergo videns partus numerari plurima noſtri
Exempla in variis cognita cuique locis,
Subſtitit; atque illum melior ſententia vertit;
Subſcripſitque meo promptus & ille libro.
Debuit hac vigilare tenus paraphraſticus ille
Scriptor,& intra operis penſa manere ſui.
Sub clypeo Aiacis latitans,ceu Teucer,in hoſtes
Eius,non in me mittere tela velit.
Optat neſciri,metuens præſtare periclum
Authoris,ſi quæ ſunt male ſcripta ſui:
Sed potior fuerat cælandi nominis illi
Cauſa,quod à cunctis cognita vera neget.
Atqui non fuerat ſe retractaſſe Paræum
Neſcius, & faciles ſponte dediſſe manus
Cum Nangeuillam collega currere iuſſo,
Illic compertæ credidit hiſtoriæ.
Quiſquis is eſt, peccat, propriæ dū imponit amico
Immeritam culpæ callidus inuidiam.
Iam quia doctrina (quicunque eſt)præſtat,& arte,
(Ex ſolo ſiquidem noſcitur vngue Leo)
Aut quia dum poſſet me ſugillare, pepercit
Suppreſſo damnans nomine ſcripta meo,

Me ſibi deuinxit; ſed non quia vincere cauſæ
Iure ſuæ noſtra ſe meliore putet
Iccirco fugiam, ſed contrà audentior ibo.
Pluris enim propria eſt publica cauſa mihi.
Quod dictum ſit pace viri mihi ſponte nocentis,
Publica lædentis commoda, iure queror.
CA. Eſt alius qui te leni modo carpere morſu,
In tuaque aſſuetus ſtringere ſcripta iocos
Vlterius pergens conuicia toruus aperte
Congerit, & damnat quod profitere palam.
Nam tibi te conſtare ſciens, & ducere parui
Quod quæ vera probas is reprobanda tenet,
Æſtuat; & ſperni impatiens hoſtile minatur.
Neſcio quid (nigro non ſine felle) tibi.
Vir grauis & nulli veniens ſe teſte ſecundus
Non metuis ne te turbinis inſtar agat?
SO. Eſt cerebri pluſquã cerebroſi tantus (vt inquis)
Si mea non læſus tantula dente petit.
Tantúmne abs re eius, ſtudiiſque ſuperfluit oti,
Tam fruſtra vt perdi tempus, opuſque velit?
Doctrinæ volo ſe iactet potioris honore,
Cuius nulla mihi mentio facta fuit.
Sed mihi de ſola cum ſit nunc ſermo capella,
Cur ſequitur coruos fuſte, lutoque vagus?
Inde ergo rediens de noſtræ lite capellæ
Nunc agat, aut referat ſe vagus εἰς κόφινας.
CA. Tecũ habita, gnarus quã ſit tibi curta ſupellex;
E tabulaque manum tolle, magiſter adeſt.
SO. Non rogo quis fuerit, nec enim reſcire laboro:
Sed rogo mollius vt mordeat admoneas.
Marte tumens vano (quicunque ſit ille) ſuperbit,
Tantillo tantus tam metuenda minans.

Maioris prædæ dignos non explicat vngues
In leporem,affectans ira Leonis apros.
Sed licet in reliquis illi ſine puluere cedam,
Hic à me vinci dum modo ſponte velit,
Non tamen eſt vt ſe mihi nunc ceſſiſſe libenter
Suppudeat,niſi quem ſe vocat eſſe pudet.
Omnia nam veri ſtudio poſtponere debent,
Qui docti ſolidum nomen habere volunt.
Sed qui ſe præfert,artiſue ſtatuta potenti
Naturæ,non hanc artibus,atque ſibi,
Leſbia quod peccat decepti regula fabri,
Peccat & is proprio luſus ab arbitrio.
Dic vbi nunc res eſt ea publica,vel fuit olim,
Aut erit, aut quînam denique ſtare poteſt,
Quã populi nunquã moderamen nactus in vmbra
Puluerea diuus ſomniat ille Plato?
Hannibal hanc melius Carthagine,Scipio Romæ
Rexiſſent,patriæ tutor vterque ſuæ.
Sunt quædam exercere queas vbi mentis acumen,
Quæ natura vel ars non patiuntur agi.
Sed quicquid tale eſt,per ſe vaneſcit in auras;
Sit licet authoris nomine grande ſui.
At rurſus ſunt facta manu,ſunt forte reperta
Plurima,queis ratio credula nulla fauet.
Iis ſunt ſubſidio ſenſus,via prima ſciendi;
Ambiguæ ſenſus regula certa rei.
Illis grande nefas non conſentire.priora
Nanque negans pariter poſteriora negat.
Qui frigere igitur glaciem,flammaſque calere
Pernegat,is flammas ſentiat,& glaciem.
Offenſus flamma calor inquiet vrit in iſta;
Hac malus in glacie frigoris horror ineſt.

CA. Huic vnũ in magnos ſtudiũ eſt certare, puſillus
Speras miſſa eius ſpicula ferre manu?
SO. Egregias vero laudes ex hoſte triumphans
Vix noto, & ſpolium grande referre poteſt!
Attamen in medio palma eſt. ſuperare diſerta
(Quod non inuideo) garrulitate velit,
Quod tamẽ eſt, teſtorque actũ, peruincere quin ſit
Vlla non ſperet ſe ratione Plato,
Eloquio Neſtor, Stentor pulmonibus aures
Obtundens ruptis, non Cato, non Cicero.
Vis aliquid maius? Non (ſi mihi dicere ſit fas)
Maieſtate manus maximus Hippocrates.
Illis nulla fides. præſentem (vt dicitur) in rem
Cum ventum eſt, oculis cedere iura ſolent.
Sed mihi maioris quo nominis obiicis hoſtem,
Ad propugnandum fortius ire mones.
Nam ſecus arguti vox imperioſa ſophiſtæ
In nigra vertentis candidiora niue
Omnes qui verum gemina ſuſpendere lance
Ancipitis libræ non didicere prius
Falleret: oraclum fierent quæcunque magiſtro
Se quoque mendaci iudice dicta forent.
CA. Sed præſumpta viri præſtantis opinio, tanti
Eſt præiudicij rebus in ambiguis,
Vt paulo dubios momento impellere poſſit
Huc illuc vacuam ceu leuis aura ratem.
SO. Sol tenebris pulſis vero diſcernere falſum
Si docet, id pro me quod minitare facit
Tum mihi ne tentet (linguæ licet arroget armis
Omnia) vi hanc clauam tollere de manibus.
Nanque rei magis eſt (ſe ſolâ) aſſertio veræ
Herculeæ firmo robore firma manus.

Rebus verba decet faſces ſubmittere, non res
Verborum ſeſe ſubdere mancipio.
Ergo colluerit ter molli plaſmate guttur,
Melle eius ſermo dulcior ore fluat,
Non tamen imponi ſperet facundulus vlli
Poſſe, fides oculis quin ſit habenda prior.
Credere ſed quiduis mortalia pectora cogens
Suſpecta eſt cordis ſubdola lingua catis.
Iiſdem de rebus contraria dicere Græcus
Pyrrhi legatus poſſe profeſſus erat.
Protinus hunc Roma (cenſente Catone) Senatus
Inſtar peſtiferæ iuſſit abeſſe luis.
Quinetiam propriæ miratrix ipſa loquelæ
Quantumuis fidei Græcia nota leuis,
Non tulit in mediis tantum id cacoethes Athenis
Eque ſcholis prudens expulit, eque foro.
Nam quibus arguto comes eſt facundia præſtans
Ingenio, cui non iuncta ſit & probitas,
Enſe nocet peius, quo dextra ſoluta furentis
Huius, & illius pectus inerme fodit.
CA. Noui ego qui Gordi nodo, clauoque trabali
Stringere te, atque vagum ſiſtere pollicitus,
Ex Hippocraticis fabricans aphoriſtica libris
Argumenta, parat ferrea vincla tibi.
SO. Socraticis annis ſublimia ſola loquace
Iactabant omnes garrulitate ſophi.
E cœlo primus quicquid ſapiente, bonoque
Dignum erat inuictus ſpretor inutilium
Detulit in terras, vetuitque parerga ſcholarum
Principem in humanis rebus habere locum.
Egerat Hippocrates prius id, ſtomachatus haber
Pluris eos, quibus eſt lingua proterua magis.

Non ve

Non vetat ille quidem ratio quin præsit, eique
Adsit (vt interpres) sermo nitore placens;
Sed placet in veris breuitas, non lingua diserti
Nugatoris vbi est meta laboris opus.
Interea quæ magna viri veneratio tanti
Et plebem, & doctos sola mouere potest
Errori proprio nubem ne offendat, habenda
Huic respondendi sollicitudo fuit.
CA. Dum plerunque tamen distas à mente Galeni
Transfuga, & à magno non semel Hippocrate,
Effugies nunquam, quin maiestatis habendum
Læsæ conuincat te schola tota reum.
Quantulus à quantis ducibus nec lixa recedis?
Fertur rana olim sic pede rupta bouis.
SO. Quam nil sim memini; nec nescio quãtus eorũ
Naturæ ac veri cultor vterque fuit.
Aëriis quantum cedunt viburna cupressis,
Iuglandi corylus, gramen arundinibus,
Tam summos inter si quis supereminet, iisdem
Si velit æquari nil nisi serpet humi.
Prodiga sed quamuis natura indulserit illis
Omnes antiqui temporis artis opes,
Non tam effœta parens fuit, aut iniusta nouerca,
Venturis reliqui vellet vt esse nihil.
CA. Qui doctoris eget (cuncti sed egere fatemur
Qua cæci rerum conditione sumus)
Ille viæ gnarum sibi quærit, qualis habetur
Iamdudum medica Cous in arte senex.
SO. Sed quis tam vixit semper vigil Argus, vt eius
Obruerit nunquam lumina fessa sopor?
Multa gigas circum late procul aspicit, at quem
Fert humeris, potis est plura videre puer.

Quod tamẽ hic luſtrat ſimul omnia, non ſibi, verũ
Debet ei, quo ſe plura gerente videt.
Quo fuit Hippocrates candore, nec ipſe fateri
Quod nondum fuerat, vel foret erubuit.
Non ſibi, ſed nec auis (licet iis Epidaurica templa
Fumarent) voluit culmen in arte dari.
Quam fugit ille ſui laudem, ſe grata merenti
Debere agnoſcunt poſtera ſecla ſeni.
Ars medica in terras nondum deſcenderat (inquit)
Quanta poteſt ſtudio creſcere, quanta manu.
Sic docuit nulli (niſi lapſu temporis) arti
Imponi ſummas, atque labore manus.
Hæc ſcribens voluit meditando extundere ſemper
Nos aliquid, peredat ne pigra corda ſitus.
CA. Nouerat eſſe hominis gnaui tolerare labores.
SO. Aſt augere hominũ cõmoda pluſquã homi-
Eius id exemplo patuit: nam dia parentum (nis.
Abſque eius ſcriptis quid medicina foret?
Si qua eius ſcriptis ſubſunt obſcura, legentum
Hæc eſt, non tanti culpa putanda viri.
At ſi fortè parum vigilanti ſcripta lucerna
Agnouit quædam ſedula poſteritas,
Illa ſalutato (fuerint quæcunque) magiſtro
Illius haud illi ſint data temporibus.
Hunc etiam reuerenter habens pro more Galenus
Id facit, illa pati quæ facit æquus amet.
Talibus arceri quiſquam non debet ab auſis
Diues, inops, ciuis, barbarus, Indus, Arabs.
Nõ tam quis dicat, quàm quid dicatur, & in quem
Cuncta ſcopum tendant dicta videre decet.
Qui ſe dogmaticos verè profitentur, oportet
Pythagoræ iubeant exulet αὐτὸς ἔφα.

Poſt Græcam Latiæ quamuis ſchola gentis in arte
Supremum medica nomen habere petat,
Quas non Barbarico plantas mendicat ab orbe.
Illa? hæc ex Arabum ſyntheta ſumpta libris?
Elleborum opilio fertur reperiſſe Melampus
Non tantum id gregibus pharmacō eſſe videns,
Sed paſti hoc pecoris lac deturbare bibentum
Ventris onus, multis venerat vnde ſalus.
Inde melampodium, poſt à virtute vocatum eſt
Elleborum magni pharmacon Hippocratis.
Poſt venere Rheū, Thamarindica pinguia, manna,
Et ſucco prægnans fiſtula longa nigro;
Denique ſexcentæ peregrino ex orbe recenter
Aduectæ medicis vndique diuitiæ.
Iccircóne omnes veratri quæſo patrone
Deſpicies quia non nouerat Hippocrates?
Has illi ſi noſſe viro ſua ſecla dediſſent,
Dixiſſet peplis, elleboroque Vale.
Eius erat quondam tam prodigus (vt tulit ætas)
Quam tu nunc eius forſan egere potes.
CA. Cū tot luxuriet membris medicina, quot ingēs
Annoſis arbos frondibus aſtra petit,
Illaque tractarint aliquot ſimul omnia, quidam
Plurima, nonnulli ſingula, nemo tua,
Conſequitur (veluti pingui tibi taurus in aruo
Sit macer) interē opes Irus vt eſſe velis,
Plauſibilem poteras (forſan cum laude) carenſque
Inuidia, atque odiis ſumere materiem.
SO. Hic Rhodon, hic Epheſum (ter ſeſquipedalia
Proiiciens) per me vel ſuper aſtra vehar, (verba,
Saxa Ithacæ reueror captarum paſcua ſolo
Dulichij partu reddita clara ducis.

Eius enim nomen tellutis viuit ab illo,
Qui vel nunc ſcriptis viuit Homere tuis.
Hac meus ex Ithaca Cæſar velut alter Vlixes
Prodeat: huic aliquis forſan Homerus erit.
CA. Eximios inter ſcriptores temporis huius,
Sola citant veterum qui monumenta patrum
Scilicet accedes numerus. mihi crede profeſſum
Nil niſi quæ tua ſunt hæc noua nemo leget.
Nam ſine priſcorũ quaſi gemmis munera quanquã
Aurea ſint cum nec plebs pretioſa vocet,
Et tua duntaxat ſint plumbea (qua Clunienus
Ruſticitate ſuum condidit aſper opus)
Dic cedo qui doctis, qui ſperas poſteritati
Nugas tam nihili poſſe placere tuas?
SO. Hippocratis leges quaſi ſint oracla Sybillæ,
Vera quidem, ex ipſo nempe petita Deo,
Sed tamen haud ſemper ſibi reſpõdentia (náque vt
Mobilibus ſcribi hæc mos erat in foliis,
Sic illas partim meditans partimque medendo
Obſeruans varie miſcuit ille ſenex)
Diſiectas alius certo locat ordine: ſunt qui
Ionii priſca præ breuitate ſtyli
Obſcuras vigili ſtudio illuſtrare laborant,
Authoris iuſſa cedere mente ſibi.
Nam ſenis ambiguo quidam ex aphoriſmate vana
Detorquent ſenſus in paradoxa nouos.
Naſus ei tanquam ſit cereus, vt libet illis
Nunc has, nunc illas tranſit in effigies.
Sulphuris huic etiam quidam Paracelſicus atque,
Tartarei imponit prima elementa foci.
Sunt quibus vnum opus eſt verboſi ſcripta Galeni,
Pluſquam verboſis amplificare libris.

Ex Græcis, Latiiſque bonis authoribus eſt qui
Gallica traductor qualiacunque facit.
Rapſographi vario multi ex authore volumen
Corradunt, aſini cui graue cedit onus.
Vnguibus ad viuum roſis hic ſtringere ſudat
Carminibus, quod vix verba ſoluta queunt.
Inde fit, vt magnas nugari in vellere capræ,
Nugas magnum artis ſæpe putetur opus.
Quiſq; illo probat author op⁹, quod more peregit.
Et puro laude illos hac ſpoliare nefas.
Sed mendicatis exornant vndique gemmis
Quicquid eis proprium ſuggerit ingenium.
Nobis tanta domi non eſt inſtructa ſupellex,
Prandemus patrium ſed patienter olus.
Omnibus iis cortex, vel Delius eſſe natator
Subſidio (feſſos ne voret vnda) ſolet.
Sed propriæ ignarus quam ſit res ardua dextræ
Remigio ignoti vim ſuperare maris,
Expertum veniat quàm ſit ſine cortice nare
In non tentato res operoſa freto.
Tunc demum ſi quid ſenſus communis in illo eſt,
Incipiet nugis æquior eſſe meis.
Attamen audendum veri mens conſcia ſuaſit
Eſſe mihi; fauſto ſidere nauis eat.
CA. Tam nihili chartas tam longo carmine tutans
Te nimio fruſtra ſponte labore necas.
Iactura ante fuit miſeræ ſatis vna papyri.
Vis toties oleum perdere? vis operam?
Non tanto meruit tibi tantula ſtare labore
Quæſtio, ſi labor hic quid mereatur habet.
Debita nam ſtudio meliori tempora quiſquis
Perdit, (in his numeris quod facis innumeris,)

Sacratas peccat Iouis in genus impius horas:
Vnde operum vitæ lex, modus, ordo venit.
Semiputata autem queis vinea frondet in vlmo,
Si rerum curæ dentur inutilium,
Desipiunt, iussi musa censente Maronis,
Hæc quorum præsens indiget vsus agant.
Et nunc dum Phœbum vacuus, musasque capillis
Inuitas sparsis ex Helicone trahis,
More nouo tibi nunc studiorum cura priorum
Effluit; adque ægros non nisi tardus abis.
Interea videas ne quis portum occuper, aut ne
Aura alio nauem quàm cupis ire ferat.
Quid nisi quæso bonis hæc ausus abuteris horis
Nos onerans longa garrulitate loquax?
Os hominis siquidem ceruici iungis equinæ,
Apponisque vagi fluctibus amnis apros.
Interea Latio phalerans tua Gallica fuco
Te falsi tacita suspicione notas.
At vetus hæc quando medicus noua carmina, vates
Chirurgema nouus condis inepte tuum,
Nulli non sperans iri tua cuncta probatum
Cunctis ridiculum te caput esse probas.
So. Omnia qui naso suspendere gaudet adunco
Optima, subsannat si mea, victor ouo.
Hæc (scio) nemo volet censor damnare modestus
Vt mala, cum bona sint, si sit & ille bonus.
Forsitan is, vel tu quondam mutatus habebis
Ex nostris quod post tersius expolias.
Tum mihi gratus erit de me tuus ille triumphus:
Et victor victi subsequar arma libens.
PORRO si partum medicum tutrice poëti
Seruari volui (quatenus id licuit)

Iure puto volui, pharetra metuendus Apollo
Vatibus eſſe Deus dicitur, & medicis.
Si minus id potui, ſaltem voluiſſe probabunt
Humanæ quibus eſt vtilitatis amor.
Si pro pignoribus vel inertia bruta tuendis,
Quam pro ſeſeipſis ſunt mage prompta mori,
Quid non mens (hominis melior pars) arte repertũ,
Vel forte obiectum, ſed ratione regens,
Quid non illa inquam factura videtur, vt id quod
Ceu peperit ſudans gnaua perire vetet?
Annua ne pereat tenuis poſſeſſio cenſus
Depletur nummis ſæpe crumena tumens.
Chirurgema recens, rarum, nec inutile verſus
Si redimat veſtra noſter ab inuidia,
Temporis, atque operæ iacturam in lucra repono;
Me nec eo fructu deſipuiſſe pudet.
Lucra (nec inuideo) reliqui ſectentur hiantes:
Non medicos ſordes, non decet ambitio.
Quis me de parua queritur mercede querentem?
Aut ſemel accitum non adiiſſe meos?
Nec meus ille meam Princeps accuſat opellam,
Nec reges numerans illius vxor auos.
DENSNE tibi ſupereſt, quo mordax lædere matrẽ
Et partum ſperes Cæſareamque manum?
Vnus pro cunctis in formas Proteus omnes
Verſus es, an nulla vt ſit mihi parte fuga?
Aut magis vt nunquam ſtabilis conſiſtere viſus
Tu vagus, & titubans ipſemet aufugeres?
Ne nihili fieres finxti te Protea: magnus
Ardelio euadis Protea te faciens.
Ecce taces, factus priuata in lite Palæmon.
Iudicio victus quis meliore cadit?

Sed poſito interea latratu ringeris: atqui
Non pudet errati pœnituiſſe bonos.
Hoc tibi pro rictu, roncho, & latratibus opto,
Hæc noua cum nolis noſtra placere tibi,
Qui tibi mos vetus eſt noua raucus in omnia latres
Obuia more canis, ſed ſine dente latrans.

FINIS.

Errata dialogi ſic corrige.

Pag. 9. linea 6 peregre. 12. 22 ratione. 16. 26 nugaci. 18. 4 Mæuius. 20. 3. Guillemus. 23. 8 æger. 33. 14. ferre. vel eius vice diſtichi,

Men' tibi carbones tam carbonarius, & tam
Fumoſus fumos vendere velle putas?